



The Holy See

***ALLOCUTIO IOANNIS PAULI PP. II
AD EOS QUI INTERFERUNT
VII ORDINARIO GENERALI COETUI
SYNODI EPISCOPORUM***

Die I mensis Octobris, anno Domini MCMLXXXVII

In hac prima Synodi Episcoporum congressione liceat mihi imo ex animo salutationem reddere omnibus eiusdem Sodalibus, necnon omnibus ad hanc sessionem invitatis laicis: Auditoribus et Auditricibus.

Omnibus gratias persolvo pro eorum earumque participatione in laboribus Synodi.

Specialem gratitudinem exprimere volo Cardinalibus Praesidibus, quorum coetui — propter absentiam Cardinalis Trinh Van Can, Archiepiscopi Hanoiensis, Cardinalis Ricardus Vidal, Archiepiscopus Caebuanus, annumeratur.

Simul cum Praesidibus gratias agere volo Cardinali Hyacinto Thiandoum qui munus Relatoris Generalis libenter in se recepit, atque omnibus cum ipso sociis.

Tandem liceat mihi peculiarem facere commemorationem Cardinalis Francisci Tomášek, Archiepiscopi Prahensis in Cecoslovachia, propter particulare momentum eiusdem in hac sessione praesentiae. Neminem enim fugit eum hac in Synodo agere partes Ecclesiae Particularis quae in angustiis valde versatur propter Episcoporum exiguum numerum ut in sermone, quem ad ipsum Purpuratum habui in eius Visitatione ad Limina, enuntiavi.

Quid autem optem sollemnissimo conventui vestro, id est quod Vos Ecclesiaeque omnis praestolamini: fore scilicet ut, Deo inspirante, tanta concordia, sapientia, pietate agatis ut felicitior aetas christianae societati oriatur, in omnium salutem.

Assit Beatissima Virgo Maria, Christi Mater amabilis, quae uberem caelestium gratiarum frugem ab adorando Filio nobis obtineat.

© Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana